


TIT. XLVI. De Observatione jejuniorum.
 423. Quid sit jejunium?
 Id num. Sublata diversitate oppinio-
 num, omnes etiam, qui ex aliquo nec-
 cessitate carnes edunt, tenentur uni-
 cam comestionem servare.*
 424. De unica refectione.
 425. De hora refectionis, & collatione.
 426. De diebus jejunii.
 Id num. In Regnis Castellæ, Legio-
 nis, & Indiarum hodie in diebus Sab-
 bati, ex omnibus animalium partibus,
 indistincte carnes edi possunt.*
 427. Quo tempore non jejunetur?
 428. Qui jejunare non teneantur?
 429. Quæ à jejunio excusentur?
 TIT. XLVII. De Purificatione post partum.
 430. De mulierum purificatione.
 TIT. XLVIII. De Ecclesiis ædificandis,
 vel reparandis.
 431. Quomodo Ecclesiæ debeant ædificari?
 432. Cujus licentia. 433. Cujus sumpti-
 bus reparatur?
 434. De ejus destructione, & ampliacione.
 TIT. XLIX. De Immunitate Ecclesiarum,
 Cæmeterii, & rerum ad eas perti-
 nentium.
 435. Quid sit Ecclesiarum immunitas, &
 quo jure introducta?
 436. De immunitate Clericorum ab one-
 ribus.
 437. Bona Ecclesiastica immunia sunt à
 tributis.
 438. Quid in necessitate communi?
 439. Qui immunitate reali gaudeant?
 440. De Subsidio, & excusato. Et de
 ejus nova conventionem affirmatur.*
 441. 442. Quæ in Ecclesia non liceant?
 443. De Asylo.
 444. 445. Qui Asylo, seu immunitate
 gaudeant?
 446. 447. 448. 449. Qui non gaudeant?
 450. Extra crimina excepta nulli negatur
 immunitas.

451. 452. Quæ loca gaudeant immunitate?
 453. Reus invitus regulariter non est ab
 Ecclesia extrahendus.
 454. Nec Rector Ecclesiæ debet eum tra-
 dere.
 455. Causa immunitatis pertinet ad Epis-
 copum.
 456. De poena rerum ad Ecclesia extrahen-
 tium.
 457. Refertur Constitutio Gregor. XIV.
 & ordinatio Regia.
 458. Refertur Constitutio Benedict.
 XIV. An. 1725. Ubi casibus exceptis
 in Gregoriana, alios casus, & declara-
 tiones adjunxit, & declaravit in qui-
 bus non gaudeatur immunitate Eccle-
 siastica.*
 459. Assignantur Judices, qui possunt
 declarare quamquam delicta sint excepta,
 vel non; & proponitur modus proced-
 endi ad extractionem rerum, è loco
 sacro, secundum dict. Const. Benedict.
 XIV.*

TIT. L. Ne Clerici, vel Monachi Secula-
 ribus negotiis se immisceant.

460. Quid, & quotuplex sit negotiatio?
 461. Lucrativa Clericis, & Monachis pro-
 hibetur.
 462. De poena Negotiatorum.
 Id num. Omnino prohibetur nego-
 tiatio Clericis per se, vel per alios. Et
 spolia provenientia ex illicita negotia-
 tione applicantur Camera Apostoli-
 cæ.*
 463. Clericis prohibetur militare, medi-
 cinam exercere, esse Notarios, & Pro-
 curatores.
 464. Quibus prohibetur studium Medi-
 cinæ, & Juris Civilis?
 465. De poena Doctorum admittentium
 Religiosos ad Juris Civilis, & Medici-
 næ studium.
 466. Clericis de causa sanguinis cognos-
 cere prohibetur.
 467. De aliis, quæ prohibetur in præsentî.



NOTITIA JURIS PRÆAMBULA, ET INTRODUCTIO AD COLLECTIONEM JURIS CANONICI HISPANI, ET INDICI.

NE HOSPITE INSALUTATO, UT COMMUNITER
 dicitur in secretiores juris quæstiones ingrediamur,
 oportet aliquid de ejus origine, progressu, divisione,
 & aliis partibus prius dicere & tamquam in pro-
 pylæo ejus membra, ostendere, illiusque
 auctoritatem declarare.

Num. 1



US ergo, sic die-
 tum est, quia
 justum est text.
 in cap. 2. D. 1.
 seu à jubendo qua-
 si jussum. teste
 Aristotele. seu à Justitia sic appellatum
 est. L. 1. ff. de just. & jur. Et ibidem sic
 definitur: *Ars boni, & æqui*, & in
 hoc sensu est ident ac scientia juris, nem-
 pè Canonum, & Legum, seu *Juris-
 prudentia*, quæ definitur: *Divinarum,
 atque humanarum rerum notitia, jus-
 ti, atque injusti scientia.* L. 10. §. 2.
 ff. de justit. & jur. quæ definitio pot-
 tius nostre Canonice, quam Civili
 jurisprudentiæ convenit. Jus aliquando
 Tom. I.

sumitur pro loco Judicii, sic dicitur
 in jus vocare, in jus ire; aliquando
 pro Judicis sententia, qui etiam quan-
 do inique decernit, jus facere dicitur
 l. 11. ff. de justit. & jur. Ali-
 quando pro eo, quod justum est, &
 Legibus conforme, & quidquid bonum,
 & æquum est jus dicitur lib. 11. ff. de
 justit. & jur. Aliquando sumitur pro
 illa facultate, quam quis habet à natu-
 ra, seu legibus concessam ad aliquid
 faciendum, vel omittendum, vel ad
 obligandum alterum, ut aliquid det,
 faciat, vel omittat, & sic dicitur,
 quod qui utitur suo jure, nemini fa-
 cit injuriam l. 155. §. 1. ff. de reg. jur.
 l. 14. tit. 34. p. 7. Et quod quilibet potest
 A

2 suo juri renuntiare. *L. Si quis in conscribendo, 29. C. de pact.* Et quod nemo in alium potest plus juris, quam ipse habet, transferre *l. 54. ff. de reg. jur.* Et quod quis in alterius jus succedit, vel jus alterius ledit.

2 Quando quis alterum ad faciendum, vel omittendum potest obligare, *jus activum* habere dicitur: cui tanquam correlativum, correspondet *jus passivum*, id est obligatio ex parte alterius; quod etiam vocatur *debitum*, *jus activum*, vel est *jus jurisdictionis*, vel proprietatis. *Jus jurisdictionis* est potestas publica, quam quis habet ad alios obligandos, ut aliquid faciant, vel omittant; præcipue in bonum Communitatis. Hoc gaudent Principes, & Judices, illudque exercent, leges, vel statuta ferendo, sententias pronuntiando, prohibendo, puniendo, &c. *Jus proprietatis* est potestas legitima proveniens à Natura, vel à Lege ad obligandum alios, ut aliquid faciant, vel omittant; præcipue in bonum proprium obligantis. Sic potest quis alios obligare, ne ipsam lædant in corpore, vita, fama, vel bonis. Hoc jure gaudet qui habet dominium rei, vel usumfructum, vel aliud jus, v. g. decimandi, eligendi, præsentandi, &c.

3 *Jus proprietatis*, vel est *jus in re*, vel *jus ad rem*. qua distinctione utuntur *Clem. un. de sequestrat. c. fin. de concess. præbend. in 6.* alia jura, & communiter *DD.* *Jus in re* est quod fundatur in ipsa re, & dicitur *reale*, ita, ut ad quemcumque transeat possessorem, cum hoc onere maneat, quia non possessor, sed ipsa res est obligata, & ad ipsam terminatur actio realis. *L. 25. ff. de obligat. & action.* *Jus ad rem* seu *personale* est quando non ipsa res est obligata habenti tale jus, sed persona, vel ex contractu, vel ex quasi contractu, vel ex delicto, vel ex quasi delicto; & adversus illam datur actio personalis, quæ etiam dicitur *condictio*. Utriusque actionis distinctionem clarè proponit *l. 25. ff. de obligat. & action.* ibi: *Actio generatim sunt duo, in rem, quæ dicitur vindictio, & in personam, quæ condictio appellatur: in rem actio est per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus, & semper adversus eum est, qui rem possidet. In personam actio est, quia cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, vel dandum; & semper adversus eundem locum habet.* Sic ille, qui emit servum, antequam ipsi servus tradatur, habet jus ad rem adversus venditorem immediate, ut ipsi tradat servum vi contractus celebrati, non tamen habet actio-

nem contra tertium possessorem, si forte habeat servum; quia cum illo non celebravit contractum: postquam vero emptori est traditus servus, habet jus in re, quia per traditionem res nobis adquiruntur *l. 20. ff. de acquir. rer. dom.* potestque servum vindicare à quocumque detineatur etiam si non sit ipse venditor, sic etiam presentatus ad beneficium, ante institutionem habet jus ad ipsum, postquam verò Canonice institutus est, habet jus in re. Jus prout est justum, seu quod est conforme legibus, & commensuratum juri alterius est obiectum proprium justitiæ. *D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 11.* Justitia etiam diversimodè accipitur. Nam aliquando sumitur pro omnium virtutum complexo. Sic *Aristot. Ethic. 5. c. 1.* ait: *Justitia in se virtutes continet omnes.* Aliquando pro charitate, seu gratia sanctificante. Sic in *Trid. sess. 6. de justificat. c. 7.* dicitur: *Dei justitia est unica causa formalis nostræ justificationis, non qua ipse (Deus) bonus est; sed qua nos justos facit.* Sed strictè accipitur pro virtute morali, una ex quatuor Virtutibus Cardinalibus. *Sap. 8. v. 7. D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 12.* & definitur ab *Ulpiano in l. 10. ff. de just. & jur.* sic: *Constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* *D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 1.* facit *D. August. de Civit. Dei, l. 19. c. 21. D. Ambros. & comm. DD.* & sic exponitur: Est habitus, vel actus voluntatis quo quis firmiter vult semper, quacumque difficultate non obstante, alteri tribuere, quod ipsi debetur, si vè faciendum, quod oportet fieri; si vè omittendum, quod omitti alteri convenit. Hæc virtus essentialitè est ad alterum, in quo jus activum residet, & idè nullus propriè, nec injuriam, nec justitiam sibi ipsi facit.

4 Justitia dividitur in *Commutativam*, *Distributivam*, *Legalem*, & *Vindicativam*. *Commutativa* est, quæ redè ordinat partem Communitatis ad partem, seu unum hominem privatum ad alium, respicitque jus alterius strictè dictum, scilicet jus proprietatis, cujus violatio obligationem restituendi, & damnnum reparandi inducit, exigitque proportionem arithmeticam, seu perfectam æqualitatem inter jus activum unius, & jus passivum, seu debitum alterius. Hæc versatur in contractibus, commutationibus, testamentis, matrimoniis, delictis, & quasi delictis. Et ad eam præcipue ordinatur totus *Lib. II. Decretal.* ut scilicet, unicuique jus suum per sententiam Judicis tribuatur. *Distributiva* est, quæ ordinat totum ad partes, seu Communitatem ad Cives; inter quos bona Reip-

publica communia, honores videlicet, & onera, juxta meritum, virum, & facultatum proportionem distribuit, observatque proportionem Geometricam, qualis est inter merita, & præmia. In ea enim non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas, ut scilicet, sicut una persona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur uni personæ excedat rem, quæ datur alii. *D. Thom. 2. 2. q. 61. art. 2.* Et qui ipsam violat non dicitur propriè injustus, nec ad restitutionem tenetur, sed acceptor personarum dicitur *D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1.* Et hæc versatur in electionibus, institutionibus, presentationibus, in dispensatione honorum, præmiorum, & etiam rerum spiritualium. *D. Thom. 2. 2. q. 73. ex art. 2.* *Legalis* est, quæ respicit primò, & per se bonum Communitatis, vel Republicæ ejusque conservationem, vel augmentum per Legum observantiam obtinendum, ordinatque membra ad Communitatem, seu Cives ad Reipublicam: ad ipsamque spectant Leges, Constitutiones, Rescripta, & Consuetudines. *Vindicativa* est, quæ bonum Republicæ procurat, puniendo delicta, poenæque condignas infligendo, pro gravitate delictorum, ne nimia remissione libertas crescat delinquendi, cum plura sint delicta, in quibus est culpa relaxare vindictam. Ad hæc partem pertinent, quæ de criminibus, & eorum poenis in jure tractantur.

5 *Jus*, prout derivatur à jubendo, est idem, ac jussum, seu lex, & est mensura, & regula justæ, triplexque est; *Jus Naturale*, *Genium*, & *Civile*, *c. 6. D. 1. Tot. tit. Ins. de Jur. Natur. Gent. & Civili. Lex naturalis*, ait *D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 2.* *nil aliud est, quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* Deus enim cognita objecti malitia, vel bonitate, quia disconveniens, vel conveniens est Natura rationali, ut Legislator Supremus illud prohibet, vel præcipit, juxta illud *David in Psalm. 4.* *Quis ostendit nobis bona?* & ipse respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et *Apost. ad Rom. 2. v. 15.* loquendo de Gentilibus ait: *Qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis.* De quo plura avert *Exim. D. V. P. Franciscus Suar. de Legib. lib. 2. cap. 5. & 6.* Ratio ergo naturalis, seu conscientia, quæ Græcè *Synderesis* dicitur, hoc nobis principium proponit, & dicit: *Quod tibi non vis, alteri ne facias, & è contra.* Hinc oriuntur tria illa juris principia: *honeste vivere: alterum non ledere: suum cuique tribuere.*

L. 10. §. 1. ff. de Just. & jur. Hinc discurrendo descendit ratio ad hæc consequentias: ergo non licet facere homicidium, adulterium, furtum, &c. Huc ergo pertinent Decalogi præcepta, aliaque, quæ ex dicto principio inferuntur, juxta illud Christi D. apud *Matth. 7. v. 12.* *Omnia, quæcumque cultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim Lex, & Prophetæ.* Ubi *Cornel. ait: Omnia illa ex hoc primo Naturæ dicitamine; & primo Philosophiæ Moralis principio oriuntur.* Et *Abul. in Matth. c. 7. q. 23.* ait: *Non solum est per se una regula; imò includit totum Jus Naturale.* Latè *Suar. de Leg. lib. 2. cap. 5. & 6. Molin. de Just. & jur. tra. 3. §. D. 47.*

6 Sanè *Jus Naturale* apprime describitur in *C. 7. D. 1.* ibi: *Jus Naturale est commune omnium Nationum, eo quod ubique institutum natura, non constitutione aliqua habetur, ut auri; & sèmine consensio, liberorum successio, & educatio; communis omnium possessio, & omnium una libertas, adquisitio eorum, quæ celo, terra, marique capiuntur, item depositio rei, vel commendatio restitutio, violentiæ per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est, nunquam injustum, sed naturale, æquumque habetur.* *Jus Naturale* aliud est *preceptivum*, quod scilicet, nobis indicit, quid faciendum est necessario; quia honestum; v. g. *Deum colere, parentes honorare, servare fidem.* Aliud est *prohibitivum*, quod scilicet, nobis dicit, quid sit necessario fugiendum, quia inhonestum; v. g. perjurium, blasphemia, mendacium. Aliud denique est *permisivum*, quod scilicet, nec præcipit, nec prohibet, sed permittit aliquam actionem, quia est indifferens, ut est ambulatio. Sed *Jus Naturale* sic permittens non coarctat legem positivam, ne talem actionem præcipiat, vel prohibeat; imò pro causa talis prohibitionis à lege positiva factæ non permittitur à Jure Naturali talis actio. Quando præceptum est *negativum*; v. g. *non occides, obligat semper, & pro semper, & adimpletur præcisè abstinento ab actione prohibita.* Præceptum *affirmativum*, v. g. *honora parentes, obligat semper sed non pro semper, sed solum quando esset mala omissio actus præcepti, & est necessaria actio positivè ad illius implementum.*

7 Quando *Ulpianus* dicit in *l. 1. ff. de Just. & jur.* quod *Jus Naturale* est, quod *Natura omnia animalia docuit:* non intelligitur de jure verè, & propriè tali, sed solum per analogiam ad *Jus Naturale*, cum bruta careant ratione, quæ est fundamentum totius juris juxta *Arist. & D. Th.* sed quia

4 quia ipsa per instinctum faciunt, quæ homines faciunt recta ratione duce. Sic dicitur: *Prov. 8. v. 29. Legem ponebas aquis, licet non esset verè, & propriè lex.* Jus Naturale est immutabile ex sua natura. §. 11. *Inst. de jur. Nat. Gent. & Civil. Arist. Ethicor. §.* Sed tota mutatio, quæ aliquando contingit circa ea, quæ sunt juris Naturalis provenit ex mutatione alicujus circumstantiæ in qua aliquid non est hic, & nunc objectum juris Naturalis, sicut esset, seclusa tali circumstantia. Sic licitum est, hominem natura sua liberum, facere servum, ut servetur, casu, quo justè posset in bello occidi. §. 2. & 3. *Inst. de Jur. person.* Sic mihi hominem occidere licet, ad propriam defensionem, ne ab illo occidat. Sic Israelitæ spoliarunt Ægyptios, Deo Supremo Domino Coeli, & Terræ in illos transferebantur eorum rerum dominum. Similiter Abraham, cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis. Etiam Oseas accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mæchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ jam sua erat. *D. Th. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. vide Tyrin. inc. 1. Oseæ,* quæ quidem omnia, cum pro illis circumstantiis licita essent, non erant prohibita jure nature. In jure naturali præceptivo, nec à Deo potest dispensari directè. *D. Th. 1. 2. q. 100. art. 8. Et idè præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia, quia quæ jure naturali sunt prohibita, sunt intrinsecè mala, & inhonesta; ac proindè, nulla potentia possunt fieri licita, & honesta, cum rerum essentia sint immutabiles.*

8 *Jus Gentium, juxta text. in C. 9. D. 1. est sedium occupatio, edificatio, munitio, bella, captivitates servitutes, post lîmina, fœdera, paces, induciæ Legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita.* Hoc indè jus Gentium appellatur, quia eo jure omnes ferè Gentes utuntur. Ex hoc jure Gentium, ait Justin. in §. 2. *Inst. de jur. nat. Gent.* omnes penè contractus, introduci sunt, ut emptio, & venditio, locatio, & conductio, societas, depositum, mutuum, & alii innumerabiles. *Jus Civile: juxta text. in C. 8. D. 1. est quod quisque Populus, vel quæque Civitas sibi proprium, Divina, humanaque causa, constituit. Sed quoties, ait Justin. in §. 2. Inst. de jur. Nat. non addimus nomen, cuius sit Civitatis, nostrum jus (id est Romanum) significamus sicuti, cum Poetam dicimus, nec addimus nomen subauditur, apud Græcos*

Egregius Homerus, apud nos Virgilius. Constat, ait ipse Justin. in §. 3. Inst. de jur. Nat. jus nostrum, quo utimur, aut scripto, aut sine scripto, scriptum autem jus est Lex: plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratum edicta, responsa prudentum.

9 *Lex est quod Populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule, constituat. Plebiscitum est quod Plebs, plebeo Magistratu interrogante, veluti Tribuno, constituat: appellatio Populi Universi cives significantur, connumeratis, etiam Patritiis, & Senatoribus. Plebis autem appellatio, sine Patritiis, & Senatoribus ceteri cives significantur. Sed & Plebis citæ Lex Hortensia lata, non minus valere, quam Leges cæperunt. Senatusconsultum est, quod Senatus jubet, atque constituit. Sed & quod Principi placuit Legis habet vigorem. Cum Lex Regia, quæ de ejus imperio lata est, Populus ei, & in eum omne imperium suum, & potestatem concedat. Quodcumque ergo Imperator per Epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel Edicto præcepit, Legem esse constat. Magistratum Edicta, aut Prætorum sunt jussa à Magistratibus, vel Prætoribus provenientia. Hoc enim jus honorarium appellabatur, eo quod qui honorem gerunt, id est Magistratus auctoritatem hunc id est Magistratus auctoritatem introduxerunt Prætores adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris Civilis gratia, propter publicam utilitatem: nam jus honorarium viva vox erat juris Civilis. *L. 7. l. 8. ff. de Just. & jur. Ediles Curules de quibusdam causis Edictum proponebant, quod, & ipsum juris honorarii portio erat. Tales sunt ædilitiæ actiones redhibitoria, quanti minoris, & in factum de quibus multæ Leges in Tit. ff. de Edilit. edict. & Cod. de Edilit. action. Dicebantur Ediles, id est, conservatores sacrarum ædium, Curules: quia pro majori sui muneris auctoritate gestabantur Curru, vel sede eburnea. Responsa prudentum sunt sententia, & opiniones eorum, quibus permissum erat, de jure respondere, qui Jurisconsulti appellabantur. Quæ omnia cum historia juris Civilis à primis incunabulis constant ex Tit. Inst. de jur. Nat. Gent. & Civil. & latus ex l. 2. ff. de origin. jur. Leg. 2. C. de Veter. jure. Enucl.**

10 In omnibus his juris speciebus aded multa statuta erant, ut penè bismille libri numerarentur, & plusquam treccientena millia versuum, quibus jura continebantur. Sed Imperator Justinianus hanc immensam vastitatem in compendium

dium moderatum redegit, rejectis, & expunctis superfluis, & contrariis: Compositque *Corpus juris civilis*, quod nunc habemus, & in Scholis utimur. Hoc ergo jus ex pluribus constat partibus. Prima est *Digestum*, sic dictum, quia Justin. omnia veterum Juris Consultorum responsa in 50. Libros redegit, & quasi digessit. Estque in tria volumina distributum. Primo dicitur *Digestum Vetus* continetque 24. Libros. Secundum dicitur *Infortiatum*, quia continet Leges circa Testamenta, & ultimas voluntates, quæ fortissimæ sunt, complectiturque 14. Libros. Tertium dicitur *Digestum novum*, continetque 12. Libros. *Digesta Græcè Pandectæ* dicuntur, quasi contineant in se omnes disputationes, & decisiones legitimæ teste Nebrissensi. Quando *Digesta* citantur, vel formatur majuscula D. vel Græcum π vel duplex ff. & hic usus invaluit: nam cum olim citarentur per Græcam littera π quæ est initialis in hac voce *Pandectæ*, habeatque aliqualem similitudinem cum duabus ff. paulatim ex errore Librariorum, citari cepit per duas ff. atque ita apud Juristas invaluit. Melior modus citandi tum Leges, tum Canones, est apponere numerum Legis, vel Canonici, hoc modo text. in l. 31. ff. de Legib. text. in l. 1. D. de Patris quod si Lex est divisa in §§. & versic. citatur sic: *L. Cum aurum, 19. §. Læsum, 8. v. Sed nec candelabra, ff. de Aur. & arg. legar.*

11 Secunda pars Juris Civilis est *Codex*, ita dictus per antonomasiam, quia quamvis omnis liber possit vocari *Codex*, id est, *Caudex*, & truncus arboris, teste Nebrissensi, cui ad scribendum cortex detrahebatur: hic dicitur *Codex* sine addito propter excellentiam, quia continet in se Imperatorum scripta, & Constitutiones. Constatque 12. Libris. Et ejus Leges citantur per majusculam C. Sed si aliqua Lex allegatur ex tribus ultimis Libris Codicis, additur numerus Libri hoc modo: *L. 1. C. de Sum. Trinit. l. 5. de Jur. Fisc. Lib. 10. L. 3. C. de Cast. pecul. Lib. 12.* Tertia pars Juris Civilis est *Volumen Authenticorum* in 9. Collationes divisum, ita dictas; quia in illis sunt collectæ Constitutiones Justin. quæ post Codicem jam editum, sunt factæ, & vocantur *Novellæ*, seu jus novissimum. Sicque citantur: *Auth. de Testib. 90. cap. Sancimus, coll. 7.* Hodie verò expeditior, & frequentior modus citandi est hic: *Nov. 74. cap. 2.* Summa omnium *Novellarum* hodie extantium sunt 168. Ex hoc volumine *Authenticorum* translata fuerunt in Codicem, & Congruis Titulis appositæ ab

Irnerio quædam Leges, quæ *Authenticæ* vocantur, cum cæteroquin, Lex ut inclusa in *Authenticorum* volumine *Authenticum* nuncupetur. Et citantur sic: *Auth. Si qua mulier, C. de Sacros. Eccles.* Inveniuntur in eodem *Authenticorum* volumine duo Libri feudorum, tredecim Edicta Justin. & aliorum Imperatorum Constitutiones, &c. quas ibidem, si libet, videre poteris.

12 Quarta pars continet Institutiones Justiniani, quæ sunt quoddam Legum Compendium. Et in quatuor Libros dividuntur. Tempore enim Justinian. tres Codices reperiebantur, nempe Gregorianus, Hermogenianus, & Theodosianus, de quibus fit mentio in *L. un. C. de Novo, Cod. faciend.* quibus adrogatis auctoritate Justin. fuit quidam *Codex Compilatus*, quem Justinianum dixerunt, postea fuerunt edita *Digesta*, & Institutiones, in quibus fit mentio hujus Codicis. Ut constat ex §. *Sed nec hujusmodi, 27. just. de legar.* postea justu ejusdem Imperatoris ille idem *Codex Justinianus* fuit emendatus, & hunc Codicem, qui dicitur *repetitæ prælectionis* nunc habemus, & hic fuit editus post Institutiones Justiniani. *L. un. C. de Emendat. Cod. Justin.* Et in hoc fit mentio Institutionum jam antea compositarum. *L. Meminimus, 15. C. de legit. hæred.* Et hinc solvitur difficultas, quæ ex prædictis Textibus poterat oriri. Institutiones non citantur per Leges, sed per §§. citando principium, vel numerum, §. & postea Titulum, hoc modo, §. *Per traditionem 40. Inst. de Res. divis.*

13 Præter has juris species, quas agnoverunt J. C. debemus addere, & dividere Jus positivum in *Divinum, Canonicum, & Hispanicum.* Jus Divinum est Lex à Deo Legislatore data, tum in Veteri, tum in Novo Testamento. *Jus Canonicum*, quod etiam dicitur *Pontificium, Sacrum, & Ecclesiasticum*, sumpta denominatione ab illius Authore, & materia, est quod *Cinnum actiones ad finem æterna beatitudinis dirigit.* Sic *Lancel. in pr. Inst. Canon.* Et idè dicitur *Canonicum* per antonomasiam. Nam *Canon Græcè, Latine regula nuncupatur, c. 1. D. 3. regula dicta est eo quod rectè dicit, nec aliquando alicuius trahit, vel quod regat, vel quod normam rectè vivendi præbeat, vel quod distortum, pravumque corrigat, c. 2. D. 3. quæ omnia, ut facile patet, Juri Canonico maxime conveniunt, ubi ferè nihil occurrit, nisi regulæ quibus Christianus docetur, honestè vivere, alterum non lædere, & suum cuique tribuere, ut ait, *Greg. IX. in Bulla Rex Pacificus* in fronte *Decretalium* posita. Aliquando vocatur*

Jus Divinum, sed lato modo; C. 2. de *Privilegiis*. in 6. Tūm quia ex *authoritatibus Veteris, & Novi Testamenti processerunt Canonice Sanctiones*, e. 24. de *Acusato*. Tūm quia *Canones* hinc inde, ac dono Spiritus Sancti dictati sunt, ut ait, S. *Damasus Pap.* in c. 5. 25. q. 1. Et hinc patet illius excellentia, & utilitas, quam commendat Henr. Canis. Cardin. Hostiens. qui ait: *Hæc nostra Lex, sive scientia verè potest scientiarum scientia nuncupari*. Pirhing ait: *Quantumcumque labor hic sit difficultate ferreus, utilitate tamen est aureus*. Melch. Can. de *Locus Theol.* lib. 8. *Mend. de Jur. Acad. L. 1. ex n. 524.* Soto in *proem. de Just. & Jur. & alii*, qui dicunt, hanc scientiam esse valde utilem, & necessariam, non solum Civillistis, sed & Theologis, cum sit portio quadam Theologiae, & partialis quedam Theologia, quæ practica vocatur. Hæc duæ scientiæ sunt veluti Sorores; sed si Theologia est Rachel pulchra, hæc Canonum facultas est Lia foecunda quid mirum quod decernatur in c. 1. D. 38. *sciunt igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones*. Sed pro maxima nostri juris commendatione audiamus Summ. Pont. Innoc. IV. in c. 2. de *Privilegiis*. in 6. libi: *Cum de diversis Mundi partibus multi confluent ad Sedem Apostolicam, quasi Matrem, Nos ad communem tam ipsorum, quam aliorum omnium commodum, & profectum, paternæ sollicitudine intendentes, ut sit eis mora hujusmodi fructuosa providimus, quod ibidem de cetero regatur, & vigeat studium Juris Divini, & Humani, Canonici, videlicet, & Civillistis*. Et certè quidem qui in jure Canonico bene versatus sit, & aliis, & sibi utilis erit, & ad Dignitates Ecclesiasticas, & Sæculares primè aptus invenietur, erit enim tanquam Aod, qui utraque manu pro dextera utebatur: & maximè ad publicam utilitatem ejus studium proderit, nam ut ait Rex Noster Alphonsus, re, & cognomento Sapiens, in l. 8. t. 31. p. 2. *La esciencia de las Leyes es como fuente de justicia, è aprovehase de ella el Mundo, mas que de otra esciencia*. Denique *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 18.* vocat Canones Sacratissimos. Sed his non obstantibus non desunt sciolli, qui non cessant contra juris scientiam oblatrare, sed idè blasphemant, quia ignorant.

14 Jus ergo Canonicum originem ab Apostolis trahit, nam hi ad gubernandam Ecclesiam varias sanctiones ediderunt, quæ quidem ab initio non fuerunt scriptæ, sed ad instar traditionum observabantur, donec postea à S. Clemente B. Petri Discipulo, & successore G. acè fuerunt conscriptæ sub nomine Canonum Apostolorum: quæ

sanctiones Dionysius Scyta Abbas Romanus, cognomento *Epiguus* An. 527. in idioma Latinum transtulit simul cum aliis Constitutionibus Ecclesiasticis. Hanc collectionem Nicolaus Papa Canonum Codicem appellat in c. 1. D. 19. Aliam collectionem fecit *Isidorus Hispalensis*, vel *Nercator*, ut aliqui volunt, & tandem in lucem prodit *Corpus Juris Canonici*, quo hodie in Scholis, & foro utimur. Hoc quidem in 5. partes dividitur. 1. pars Juris Canonici est *Decretum à Gratiano Hetrusco Monacho S. Proculi apud Bononienses compilatum*, in quo opere elaboratum 24. annos consumpsit, scilicet ab An. 1127. usque ad An. 1151. quo in publicam lucem editum fuit, & ab Eugen. III. communiter refertur, approbatum. Illud appellavit Gratianus *Concordantiam discordantium Canonum*: constatque ex variis Sacræ Scripturæ Textibus, SS. Pontificum, & Conciliorum Decretis, SS. Patrum autoritatibus, & Imperatorum Legibus. In ipso etiam aliqua capitula inveniuntur sub hoc nomine *Palea*, non quod talia capitula, & eorum sententiæ sint res leves, & nullius ponderis, sicut est palea respectu tritici: sed sunt quedam additiones, vel ab ipso Gratiano factæ, vel à Palea ejus Discipulo, quem aliqui *Protopaleam* vocant. Et hujusmodi Paleæ sunt 116.

15 Hoc Decretum in tres partes dividitur. 1. enim continet 101. distinctiones, quæ, dividuntur in capita, hæc in §§. hi in versiculos, vel articulos: sicque citantur: *Text. in c. Cleros l. v. Antistes*. D. 21. Secunda pars continet 36. causas, casus, seu controversias, quæ dividuntur in questiones; hæc in capitula; hæc in §§. hi denique in articulos, seu versiculos quando citantur, omittitur nomen *causa*, solumque ponitur numerus illius, hoc modis: *Text. in c. Si quis suadente diabolo* 29. 17. q. 4. scilicet c. 29. in causa 17. in questione 4. Post causam 33. q. 3. est insertus quidam tractatus de *Poenitentia*, qui continet 7. distinctiones, & quælibet harum diversa capita, sicque citantur: *Text. in c. Radicata* 3. de *Poenit. D. 2.* Tertia denique pars continet 5. *Distinctiones de Consecratione*, quæ dividuntur in capita, §§. & versiculos, sicque citantur: *Text. in c. Apostolica* 68. de *Consecr. D. 1.* postea recensentur Canones poenitentiales, qui sunt 47. ultimo loco inveniuntur Canones Apostolorum, qui sunt 84. quorum autoritatem firmat, & probat *Gonz. in Appar. n. 42.* & constat ex c. 4. D. 16. ac proinde Canones, qui nuncupantur apocryphi in C. 1. D. 16. sunt, qui ab

Hæ-

Hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoseuntur. Et sic citantur. *Can. 19. Apostol.* Hoc Gratiani Decretum à pluribus mendis jussu Greg. XIII. fuit repurgatum An. 1580.

16 Secundam Juris Canonici partem constituunt quinque libri Decretalium, qui in varios titulos, hi in capita, hæc in §§. & versiculos dividuntur. Hanc compilationem, qua nunc utimur, post varias antiquiores maxima diligentia, & studio ex variis Conciliis, & Epistolis SS. Pontificum sub Titulo, cui correspondebat illorum materia, elaboravit, & digessit S. Raymundus de Peñafort illustrissimus Hispanus, Jurisprudentiæ Canonici fulgentissimus sydus, & Ordinis Prædicatorum ornamentum nobilissimum, potissima materia, & ordo 5. Decretalium Librorum hoc versu significatur.

1 2 3 4 5
Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen,
Et hoc modo citantur *Text. in c. Licet* el. 1. *Extra de Testib. & attest.* quo significatur, illud caput, incipere: *licet*: & esse primum, non respectu Tituli, sed tantum ex capitibus, quæ hac voce *licet* incipiunt, ut sic distinguatur à capitibus 47. & 49. quæ eadem voce incipiunt, ly *Extra* additur ab aliquibus, præcipuè, ab antiquis ad denotandum, illum Textum *extra* Decretum Gratiani inveniri. Sed hoc non est necessarium: itaque expeditior, & usitator modus citandi est hic: *Text. in c. Licet* 23. de *Testib. & attestation.*

17 Tertia pars est sextus Decretalium à Bonif. VIII. Collectus ex variis diversorum Pontificum, scilicet, Greg. X. Innoc. IV. Clem. IV. ac aliorum, & etiam ipsius Bonif. VIII. responsis. Et sub An. 1298. fuit promulgatus. Dicitur sextus, quia additus est quinque Libris Decretalium, & continet, eosdem Titulos (licet non omnes) quinque Librorum Decretalium; citanturque hoc modo *Text. in c. Fundamenta* 17. de *Elect.* in 6. Quartam partem Juris Canonici faciunt Constitutiones, quas Clem. V. in Concilio Viennensi sub An. 1310. celebrato ex suis Constitutionibus, ac Decretalibus epistolis collegit; & ideo *Clementinae* appellantur. Has promulgavit An. 1317. Joan. XXII. Clem. V. successor. Continetque eosdem Libros, ac Titulos (licet non omnes) juxta ordinem, ac modum, Librorum Decretalium, ac sexti; citanturque hoc modo *Text. in Clem. Dudum* 2. de *Sepultur.* Quinta pars continet *Extravagantes* Constitutiones, quas consecravit Joan. XXII. & quia diu extra corpus juris, quasi

in certa sede vagabantur, *Extravagantes* dictæ sunt; quod nomen adhuc retinet, quamvis in corpus juris translatae sunt, quibus postmodum alia etiam Constitutiones ab aliis factæ Pontificibus accesserunt, ac sub nomine *Extravagantium comunium* in corpore juris inveniuntur, & sub hac diversitate etiam citantur, hoc modo. *Extr. Sedes Apostolica* 1. Joan. XXII. de *Conces. præbend. Extr. Etsi deceat* 3. de *Major. & obed. int. comm.*

18 Accessit denique Liber *septimus* Decretalium, quem ex variis Constitutionibus collegit Petrus Matthæi J. C. Lugdunensis juxta ordinem quique Librorum Decretalium. Sed cum hæc collectio auctoritate privata facta sit, & à nullo Pontifice sit confirmata, Constitutiones illicitate non aliam auctoritatem habent, quam illam, quam in se independentè à tali collectione habent. Idem dicendum est de *Institutionibus Canonici* à Joan. Paul. Lanceloto J. C. Perusino conscriptis.

19 Omnia quæ continentur in Decretalibus, sexto, Clementinis, & Extravagantibus habent vim Legis universalis, & jus faciunt in foro Canonico, etiamsi aliqua capita desumpta sint ex dictis SS. Patrum, vel Conciliis particularibus; quia cum à SS. Pontificibus sint assumpta, & quasi propria facta, ab ipsis auctoritatem participant. L. 1. §. 6. C. de *Veter. jur. enucl.* ibi: *Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impartitur auctoritas*. C. 22. de *Præb. in 6. Gonz. in Appar. n. 50.* De Gratiani Decreto dubitatur, an omnia in eo contenta juris, & legis universalis auctoritatem habeant? Afirmant *Abb. Fein. Morla, & alii*. Sed plures hoc negant cum *Suar. de Legib. l. 4. cap. 5. n. 6. Sanch. de Matrim. lib. 9. d. 12. n. 5. Gonz. in Appar. n. 50.* qui dicunt, & benè quidem, singula referenda esse ad Autores, ex quibus desumpta sunt. Et cum ibi plures SS. Patrum sententiæ inveniuntur, qui licet scientia præditi sint, jurisdictione tamen carebant, quæ est necessaria omnino ad legem condendam c. 1. d. 20. pluraque sint ibidem Decreta Conciliorum particularium; imò & Imperatorum Leges, quæ jus Ecclesiasticum non possunt constituere ex ratione, l. *fin. ff. de Jurisd.* ibi: *Extra territorium jus dicenti impune non paritur; idem est, si supra jurisdictionem suam velis jus dicere*. Et cum aliunde Romani Pontifices, ipsis non communicaverint hanc vim, & auctoritatem, ea omnino carent. *Arg. d. contr. l. 1. c. de Veter. jur. enucl.* nec tales leges, & sententiæ sunt canonizatae ex eo præ-

præ-

præcisè, quod in Decreto à Gratiano sint inclusæ; retinent tamen auctoritatem, quæ ipsis est propria, & quam habent, etiam independentè à tali inclusione.

20 Circa SS. Patrum auctoritatem ait: *Glos. in c. 6. D. 69. Augustino magis credendum est in disputationibus, Hieronymo in historicis, & translationibus; Gregorius in Moralibus præponitur. Stylus Curie regularitèr pro lege servatur c. 6. de Crim. fals. Gonz. in reg. 8. Cancell. glos. 6. n. 210. Constitutiones Extravagantes, quæ à parte allegantur; debent sub authentica forma plumbatæ exhiberi extra Romanam Curiam; at verò in eadem Curia, sufficit, quod sub signo Vice Cancellarii edantur; Gonz. in Appar. n. 57. idem dicendum est de Bullario Magno; quia à nullo Pontifice approbatum est. Regule Cancellariæ observari debent, quia ex intentione Pontificis omnes obligant; Gonz. in Appar. n. 57. contra Decium & alios. Declarationes Congregationis Tridentini, si factæ sint consulto R. Pontifice, & de hoc constet in ipsa Declaratione, & sint munitæ sigillo, & subscriptione. Em. Card. Præfecti, & Secretarii Congregationis, & non excedatur facultas declarandi, nec ampliatur, nec restringatur Concilii Decretum, sed tantùm interpretetur, & aliudè publicè promulgentur, vim legis habent; secus aliter, licèt magnum dissidium sit inter DD. Aliæ Congregationes Romæ inveniuntur quales sunt 1. Congregatio super negotiis Episcoporum, & Regularium. 2. Jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ. 3. Rituum. 4. Pro Indice Librorum prohibitorum. 5. de Propaganda Fide. 6. S. Officii Inquisitionis, & aliæ. De ipsarum Decretis ferè eodem modo discurrendum est, ac de Congregatione Tridentini.*

21 Decisiones Sacræ Rotæ in Romana Curia adinstar styli jus faciunt: Extra Curiam tanquam responsa prudentum faciunt communem opinionem, à qua non est recedendum, nisi in contrarium validissimæ rationes militent. Idem ferè de Glosis dicendum est; quæ quidem in causarum ambiguarum decisionibus amplectendæ sunt, & comm. DD. sententiæ proponendæ nisi jam ab ea communiter DD. recedant *Glos. Græcè, Latine dicitur lingua*; quia ipsa, tanquam lingua declarat sensum Legum, & Canonum. *Rubricæ* (sic dicte quia olim rubris litteris scribebantur) seu *Tituli* in Decretalibus, Sexto, & Clementinis præfixi, si orationem perfectam contineant ut hic: *Ne Sedevacante aliquid innovetur*. Vim juris habent ad causas decidendas. Si ora-

tionem perfectam non contineant, ut hic: *de Constitutionibus, vel de Rescriptis*, licèt non dispositivè ob imperfectionem sensus, declarativè tamen, vel extensivè: vel ex situatione, vel ordine Titulorum possunt allegari: & Textus interpretantur ita, ut conveniant rubricæ, seu Titulo, sub quo positi sunt. Sed si inter rubrum, & nigrum, seu Textum, esset aliqua contradictio; vel si esset necessaria alterutrius correctio, nigrum ut magis speciale, magisque deliberatum restringit rubrum. *Summaria* Capitulorum, quæ ipsis fuerunt addita ex scriptis diversorum DD. præsertim Abbatis Pannonitani, Joannes Andr. & aliorum, licèt ex se non habeant vim authenticam, & decisivam, nisi quatenus concordant cum Text. subsequenti, in magna tamen estimatione sunt habenda. Super scriptiones Decretalium sunt Authentica, atque ex illis in jure validum est argumentum, quia totum volumen Decretalium, in quo ipsæ continentur, est approbatum à Papa. De quibus omnibus consulendi sunt. *Gonz. in Reg. 8. Cancell. Jacob. Menoch. de Præsumption. lib. 2. præf. 71. Garc. de Benef. Ceval. Com. opin. tom. 1. in præf. Gonz. in Appar. & alii passim.*

22 Jam ergo deveniamus ad jus nostrum Hispanum. Leges primo in nostro Regno conscriptæ fuerunt *Leges fori Judicum. Hispanæ fuero Juzgo*, quas ad certum volumen primo Rex Sisinandus, & postea D. Isidorus redegit, & ipsius gubernata fuit Hispania usque ad tempora Roderici ultimi Regis Gothorum. *Machad. in Sum. l. 3. p. 4. rr. 2. doc. 8.* Hoc volumen continet 12. Libros, divisos in titulos; qui rursus in Leges dividuntur, & hoc modo citantur. *L. 8. r. 2. l. 3. for. Judic.* postea Rex Alphonsus IX. fecit forum Regium, continetque 4. Libros, similiter in Titulos, & Leges divisos. Et hoc modo citantur. *L. 4. tit. 15. lib. 2. for. Reg. Leges Styli* editæ fuerunt ad declarationem aliquarum Legum fori, suntque 252. Et sic citantur: *L. 50. Styli.* Alphonsus Sapiens, post quartum annum, & 23. dies, quo Regnum gubernabat incæpit *An. 1251.* præclarissimum *Partitarum* opus, quod post septem annos finitum fuit, sicut habetur in earum proemio. Et continet septem *partitas, seu partes*, quæ in Titulos, & Leges dividuntur, sicque citantur: *L. 18. r. 5. p. 2.* circa illarum Authores dicit *Mendo de jur. Acad. l. 1. q. 7. n. 131. ex Salmantina Academia jussu Alphonsi Sapientis prodierunt illi Sapientissimi Viri, qui Leges septem Partitarum condiderunt. Orinamentum Regium* fuit factum

à Regibus Ferdinando V. & Elisabetha, quod continet 8. Libros, divisos in Titulos, & Leges. Et sic citantur: *L. 2. tit. 1. lib. 3. Ord.* Postea ipsi Reges quasdam Leges ediderunt, quæ non potuerunt promulgari usque ad diem 7. Martii *An. 1505.* in Curriis Tauri celebratis, & ideò appellantur *Leges Tauri. Hispanæ Leyes de Toro*, suntque 83. Et sic citantur: *Leg. 40. Taur.* Philippus II. jussit compilari varias Leges, & Pragmaticas Sanctiones, ex quibus compacta fuit Nova Recopilatio Castellæ, quæ confirmata fuit *die 14. Mart. An. 1567.* in cuius compositione successivè insudarunt doctissimi Viri Petrus Lopez de Alcocer, Doct. Escudero, Petrus Lopez de Arrieta, & Bartholomæus de Atienzo. Huic compilationi fuerunt additæ *An. 1640.* aliquæ Leges, & Sanctiones: continetque 9. Libros in Titulos, & in Leges divisos. Et citantur sic: *L. 16. tit. 1. lib. 4. R. Cast.* Denique Carolus II. sua Pragmatica Sanctione data Martii die 18. *Maii An. 1680.* jussit promulgari Novam Recopilationem Indiarum, quæ novem item Libros habet divisos in Titulos, & Leges. Et hoc modo citantur: *Leg. 8. tit. 24. lib. 2. R. Ind.* usus vos plura docebit.

23 Omnes Leges, utriusque Recopilationis, Tauri, & Partitarum sunt servandæ à Judicibus, in causis decidendis, etiam si allegetur, non esse usu receptas, ut constat ex *L. 1. Taur.* & ex Pragmaticis Recopilationis. Allegatis Legibus fori, & Styli, est necessarium probare illarum usum, nisi fortè in Recopilatione sint insertæ nam tunc sufficit, eas allegare. Sic *Acevedo in l. 3. tit. 1. lib. 2. R. C. n. 12.* quamvis alii dissentiant. In his Indiarum Regnis pro decisione causarum, debent ante omnia inspicere Schædulæ Regiæ speciales, si quæ sunt ad illam Cancellariam, vel Civitatem directæ: his deficientibus jus Commune, quod in ipsa Recopilatione Indiarum invenitur, inspicere oportet: in ejus defectu recurrendum est ad Recopilationem Castellæ, Partitis, &c. Pragmaticæ Hispaniæ hic non debent servari, nisi sint

expeditæ à Supremo Regio Indiarum Consilio, *L. 39. l. 40. tit. 1. lib. 2. R. Ind.* Deficientibus Legibus Regiis, etiam in foro Sæculari, recurrendum est potius, ad jus Canonicum, quam Civile, & è contra, deficiente Textu Canonico in foro Ecclesiastico debent Judices Ecclesiastici secundùm Leges Regiæ judicare. *Arg. text. in c. 1. de Nov. oper. nuntiat. L. 1. Taur.* & ita tenent *Montalvo, & Palac. Rubio, apud Salon de Paz in l. 1. Taur. n. 390.* licèt ipse teneat contrarium. Imò olim in nostra Hispania constitutum erat, teste *Oldrado cons. 69.* quod quicumque allegaret in Judicio Leges Imperatorum capite puniretur: quia hoc erat Imperatorem, ut Superiorem recognoscere: possunt verò citari Leges Civiles, non tamquam Leges, sed tanquam ratio naturalis, sicut allegantur dicta Philosophorum, vel Poetarum. *Gregor. Lop. in l. 6. tit. 4. p. 3. v. Por las Leyes.*

24 Principales Glossatores juris sunt sequentes. Viri Civiles, Accursius Florentinus. Decreti Gratiani Joannes antiquus Glossator, & Bartholomæus Brixensis, Decretalium, Bernardus Parmensis. Sexti, & Clementinarum Joannes Andreas Bononiensis. Extrav. Joan. XXII. Zenzelinus de Cassanis. Extrav. Com. Joannes Monachus, Guillelmus de Monte Lauduno, & Joannes Franciscus de Pavinis. Fori Judicum D. Alphonsus Villadiego. Fori Legum D. Alphonsus Diaz de Montalvo. Legum Styli Christophorus de Paz. Ordinarum Regii, Doct. Didacus Perez de Salamanca. Septem Partitarum Gregorius Lopez. Legum Tauri sunt plures, sed præcipuus est Antonius Gomez. Recopilationis Castellæ Doct. Alphonsus de Acevedo. Recopilationis Indiarum nullus specialis Glossator invenitur, possunt tamen ut Glossatores haberi. Doct. D. Joannes de Solorzano, D. Petrus Frasso, D. Gaspar de Escalona, & P. Avendaño. Qui jus profitentur debent suas propositiones aliquo Textu roborare. Juxta illud apud Juristas solemne: *Erubescimus, dum sine Textu loquimur.*